

Primus Director iuvenatus Provinciae Germaniae Inferioris

P. Matthias Arenth (1846-1895)

R. P. Aemilius Oeken, nunc Treviri degens senex 76 annorum, de P. Mattheia Arenth, sub quo olim totum suum iuvenatum perfecit, pietate filii ac sollertia scholastici manuscriptum 82 paginarum exaravit; hodiernus autem Moderator Analectorum saltem duos annos sub P. Directoris Arenth moderamine vixit. Confratres itaque dilecti ne ei succenserant, si hodie in nostro Commentario officiali suo educatori parvum monumentum litterarium erigit, usus, praeter illud manuscriptum, etiam duabus parvis vitis iam prelo subiectis, sed plurimis nostratium ignotis; etenim in *Kurze Lebensbilder der verstorbenen Redemptoristen der Ordensprovinz von Nieder-Deutschland* (Dülmener 1896), p. 281-287, PP. Nicolaus Speicher et Ios. Alois. Krebs anonyme de P. Arenth scripserunt, et in *50 Jahre Collegium Josephinum* (Bonn 1930), p. 34-60 item P. Ios. Plum.

Dominica Vocem iucunditatis seu V post Pascha, 17 Maii 1846, Matthias Arenth lucem huius mundi primum vidit in pago Eifliae Schönecken prope Prüm et festo S. Antonii Abb. 17 Ian. 1895, ergo nondum quinquagenarius, vitae terrestris cursum finivit in nostro Collegio Vaals.

Huic vitae minime longae inde ab initio non deerat sigillum crucis. Noster Matthias enim, parvulus 4 annorum, morte amisit patrem Apollinarem, 38 annos natum, et 11 annorum puer etiam dulcissimam genitricem Margaretam Busch, 36 annos natam, quae interea secundo nupserat civibus praefecto (*Amtsbürgermeister*) Lamberto Scheurette. Dolens tunc Matthias cum fratre iuniore Francisco, iam a. 1870 morte sibi abripiendo, domum paternam reliquit, transmigrans ad domum patrui et tutoris Petri Arenth in vico Eifliae Bleialf. Huic tutori postea de omni asse expenso accuratam rationem reddere debebat.

In hoc pago prima latinitatis elementa didicisse videtur, sed inde a media schola quarta frequentavit gymnasium Trevirensse a Friderico Gulielmo

¹ *Acta integra* n. 1653, p. 40.

nuncupatum et optima alumnorum institutione humanistica celebratum. Scholam 24 Aug. 1867 reliquit cum excellenti « maturitatis » diplomate. Religiosum illorum temporum spiritum cognoscimus inde, quod ex 41 gymnasii « abiturientibus » 30, inter quos etiam Matthias noster, theologiam indicarunt futuri studii argumentum.

Quoniam Seminarium episcopale Trevirensse tunc temporis solos theologiae studentes recipiebat, M. Arenth philosophiae per annum vacavit Monasterii Westfaliae. Tam reddit Trevirim ibique varios ordines recepit, et presbyteratum quidem 26 Aug. 1871. Ergo universus cursus philosophico-theologicus tum non durabat nisi quadriennium.

Honorat profecto novellum sacerdotem, quod statim a suo Episcopo in novam ac difficilem paroeciam Dudweiler prope Saarbrücken, ergo ad operarios Sarae in fodinis carbonum laborantes, missus est vicarius cooperator. Hoc munere optime fungebatur per biennium, sed cum valetudo eius sat firma non esset et iam diu ad Congregationem nostram attraheretur, 24 Aug. 1873 expetivit et obtinuit a suo Ordinario veniam vivendi Treviri vitam privatam. Certe nolebat otio se dare; sed conventum erat inter eum et Patres Redemptoristas per *Kulturkampf* patria expulsos, ut per aliquod tempus presbyter saecularis Arenth in nostra ecclesia Trevirensi Sancto Ioseph sacra sacris operaretur, incolens et ita custodiens attiguum nostrum collegium a Bismarck minime nobis ablatum.

Atvero etiam hic « ecclesiasticus privatus » (*Privatgeistlicher*) a persecutione religiosa non erat securus; nam bis a iudice condemnatus est ad multam aut carcerem « ob violationem legum Maii 1873 », et revera in carcere fuit per duas hebdomades. Tandem 13 Febr. 1875 iussus est a iudice e territorio Trevirensi plane excedere. Sic omni onere saeculi liberatus in Belgium se contulit et Trudonopoli 10 Martii in nostrae Provinciae Belgicae novitiatum ingressus est, deficientibus tunc in Provincia septentrionalis Germaniae aliis tironibus; sed alterum tirocinii dimidium cum Petro Zender, futuro Provinciali G. I., Iosepho Johannemann, futuro Vice-Provinciali Fluminis *La Plata* aliisque transegit in novitiatu germanico (licet item intra Belgii fines sito) Tavigny sub magistro optimo P. Ottone Jörissen. Festo VII Dolorum B. M. V. 7 Apr. 1876 perpetua professione sese gaudens Christo et Congregationi devinxit.

Iuxta morem Instituti hic sacerdos recens professus per dimidium annum Lucilburgi vixit inter clericos studentes, deliciae iuniorum confratrum ob suam hilaritatem, per alios sex menses Epternaci inter secundos novitios. Secuti sunt duo anni cum dimidio sacri ministerii fructuosi, praesertim inter iuvenes litterarum studiosos, donec ineunte a. 1880 a suo Provinciali P. Matthia Schmitz, item Eiflano, renuntiatur primus Director iuvenatus in Vaals prope fines Germaniae tandem aliquando condendi, ne Provincia ob defectum vocationum paulatim quasi extingueretur.

Sic Patri iuniori 33 annorum imponebatur officium, cuius difficultates hodie aegerrime mente concipere possumus. Nil enim tunc reperiebatur in nostris Constitutionibus de tali Seminario minore Congregationis, nil in traditionibus nostris scriptisve S. Fundatoris. Et quam difficile erat ex Germania pueros 12-16 annorum in Hollandiam allicere! Alfonsianum Institutum perdurante exsilio Congregatorum magis magisque oblivione obruebatur inter Germanos; nam magistratus civiles leges semel latas quam accuratissime exsequebantur, ita ut missiones haberi non possent; nec Linguoriani sodales imitabantur sobolem Ignatianam, quae exsilia otio tunc incipiebat uti ad scriptorum copiam in Germania divulgandam. Sic factum est ut illis 15 annis, quibus P. Arenth iuvenatui praefuit, iuvenistarum numerus oscillaret inter 9 et 25.

Nihilominus in annalibus Congregationis nomen P. Matthiae Arenth fulgeat oportet tamquam educatoris et organisatoris charismatici, quamvis et ab eo mortalium imperfectiones non prorsus alienae essent. Cum illo die 2 Ian. 1893 in locutorio Vaalsensi eius oculi grandes, adeo penetrantes simulque benigni, me duodennem aspiciebant, statim cognovi me ei plane confidere posse ut novo patri ac duci. P. Director Arenth suo muneri se totum devovebat, suam cuique alumno curam paternam, immo quasi maternam tribuens, ita ut derelictae vitae familiae vix desiderium nasci posset. Iuvenatus enim nobis erat quoddam atrium paradisi, in quo carpebamus auras puritatis, pietatis, mutui amoris illiusque beatitudinis, quae bonae familiae christiana propria est. Quam laetam iuventam hoc duce transigebamus! Ipse suo Provinciali P. Heilig de quadam excursione maiore, quam in feriis autumnalibus cum suis fecerat, scribit se imparem esse ad suorum iuvenum laetitiam innocentem describendam. Et sicut hiemali tempore post coenam pater et mater familias cum filiis congaudere solent iucundis narrationibus et lectionibus, sic multoties nos vespere in refectorio remanebamus sedentes prope amatum nostrum P. Directorem, qui mire possidebat artem narrandi, vel legebat nobis aliquam paginam iucundam, vel aliquem nostrorum iucundum quid narrare iubebat.

At idem iuvenatus erat quoque officina strenui ac methodici laboris scholastici. Consentientibus Superioribus Provincialibus Schmitz et Heilig P. Arenth fecerat idem, quod antea, approbante Rmō P. Mauron, Provincia Gallico-Helevetica fecerat, introducens rationem studiorum Societatis Iesu, at sapienter temperatam et mutatam, ita ut non modo linguae latinae perfectum linguaeque graecae sufficientem usum acquireremus, sed etiam lingua vernacula bene excoleremur et scientiis realibus. Primum tamen habebat non augmentum scientiae positivae, sed formatio mentis perspicuae, logicae, independentis. « Multum, non multa! ». Binae scholae erant ante meridiem et quater in hebdomade binae post, ac sufficiens tempus dabatur studio, etiam privato.

Systema paedagogicum prorsus personale huius Directoris illustreret hoc factum. Quodam die mihi dedit fabulam illam romanticam Henrici Conscience « Leo Flandriae » dicens: « Potes hunc librum legere etiam tempore studii, bene absoluto penso scholastico, at solo tempore studii ‘privati’, et postea mihi dicito, quomodo liber tibi placuerit ». Probabiliter volebat me tentare, sicut Deus tentat suos, et videre, num lectione incundissima abriperer ad transgrediendum vetitum.

P. Arenth, praeter pietatem ac studiorum sedulitatem, nullam virtutem magis inculcabat quam sinceritatem erga P. Directorem, volens suorum alumnorum interiora plane perspecta habere. Sunt tamen, qui eum in hac re per excessum defecisse iudicent, neque eius ars paedagogica in cunctis profecit.

Praemature hic moderator iuventutis eximius suas vires exhausit fidelissime exsequendo munere sibi a Superioribus imposito. Haud semel liberationem ab officio humiliter efflagitarat, ut animae propriae necessitatibus melius consulere posset, at incassum; immo a. 1893 etiam munus Rectoris localis ei impositum est. Eodem anno a confratribus electus Vocalis futuri Capituli generalis (25 Febr. - 22 Apr. 1894), labore diurno nocturnoque paravit materiam iuvenatibus nostris in Capitulo approbandis necessariam vel utilem. Revera in sessionibus XII et XIII vidi exultans novam Constitutionem fere unanimiter approbatam¹.

Proh dolor! domum redit cum bronchite chronica, et postea a medico detegitur gravis arteriosclerosis cordisque defectus. Accedit etiam hydrosis, quare 2 Dec. 1894 oleo sancto inungitur. Eodem die advenit diploma novi Rectoris Maioris R̄mi P. M. Raus, in utroque munere Rectoris et Directoris eum confirmans. Mentis serenitatem servat usque ad finem. Illo d. 17 Ian. 1895 h. 10 quasi iocose dicit: « Nondum morior », addens hanc pulchram religiosi morientis confessionem: « Oh, quam beatus sum ego ! » et extemplo in osculo Domini exspirat.

Habe, pia anima ! Anno 1880, ergo abhinc 70 annis, cum tuis primis iuvenistis a discipulo S. Clementis P. Friderico von Held (1799-1881) expetisti sanctam « patriarchae » benedictionem. Nunc tuam ipsius benedictionem e caelo elargire iuvenatui tuae Provinciae, cui per primos 15 difficillimos annos tanto zelo tantaque prudentia praefuisti. Sed potenti tua apud Deum intercessione succurre etiam aliis nostris per orbem Seminariis minoribus et maioribus, ut in eis, qualecumque sit educationis instructionisque sistema ibi adhibitum, efformentur viri vere apostolici, genuini filii S. Alfonsi et S. Clementis.

C. H.

¹ *Acta integra Capitulorum*, n. 1328 sq. Vide *Analecta XX* (1948), 101 photographiam huius Capituli. P. ARENTH invenitur in tertio seu paenultimo ordine et, a dextra numerando, est sextus, stans inter alios duos Instituti sodales vere eminentes, praesertim virtute, inter P. ANDREAM HELLBACH (*Anal. IX*, 1930, 228-236), qui est quintus, et P. IOANNEM Ev. SPOOS (1838-1921), qui est septimus.